

Wort des protestantischen Gelehrten zur Losung aller Forschungs-Arbeiten über Leubus werden, möge es die Verdienste der alten Leubuser Abtei ungeschmälert erhalten und jenem modernen, böswilligen, hyperkritischen Streben ein Ziel setzen, welches bei Wanderversammlungen, in Vorträgen und Fachartikeln schlesischer Historiker so kühn sein Haupt erhebt und das alte Leubus zu verkleinern sucht! Und wenn schon auf protestantischer Seite der Ruf der hochverdienten Abtei begreiflicherweise niedersinkt, so mögen doch die schlesischen Katholiken ihr Leubus auf der gebührenden Ruhmeshöhe erhalten, bis ein würdiges Monumentalwerk selbe für immerwährende Zeiten fest gegründet hat!

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. III. 1904, pag. 514—532.)

Caput II.

Constitutiones Congregationis Vallisoletanae.

Articulus I.

Constitutionum decursus.

Cum Congregatio Vallisoletana non fuerit ab uno viro instituta, sed longo temporis spatio efformata, ut supra vidimus, neccessario etiam Constitutiones eiusdem paulatim processere, seriusque debitum complementum ac stabilitatem adeptae sunt. Deficiente enim Institute, qui Congregationi motum imprimeret cursumque dirigeret, defuit pariter, qui leges, quibus regi ac gubernari teneretur, conderet, atque solis circumstantiis compellentibus illae fieri coeperunt.

Revera initio Vallisoletani Sanctam Regulam absque glossis et declarationibus stricte servare sibi statuerant; sed postea multis difficultatibus exortis impediti sunt, ratione temporum ac locorum, quominus propositum suum plene exsequerentur; quare ad Romanum Pontificem recurrentes an. 1476 interpositis quoque precibus „Joannis II Castellae ac Legionis Regis, impetrarunt“, ut Priores possent construere cellas in dormitorio, jejunia labores manuum, lectiones, tempora dormitionis et vigiliarum mutare et allevare, prout animarum saluti viderint expedire.¹⁾

¹⁾ Privilegia praecipua Sancti Benedicti Vallisoleti, pag. 72, et Ibañez (Franciscus) O. S. B. Privilegia Fratrum Ordinis S. Benedicti, pag. 97. Salmanticae 1569.

Accedentibus autem Vallisoletano pluribus aliis Coenobiis et novorum fundatione et antiquorum reformatione, patuit etiam necessitas instituendi aliquam vitae normam omnibus communem. Itaque duodecim post annos iterum ad Supremum Ecclesiae Rectorem suppliciter accedentes petierunt, „ut Prior sive Superior pro tempore existens Monasterii Sancti Benedicti Vallisoleti praedicti, a quo hujusmodi observantia et inclusio principium habuerat, cum consilio illorum ex hujusmodi Conventu, qui sibi in gerendis negotiis assistere consueverint, ac aliorum Seniorum et providorum Religiosorum in suo Capitulo consueto, prout sibi visum fuerit, possent interpretari et modificare, declarare, exponere et moderari quaecumque dubia ac passus Regulae Sancti Benedicti, quomocumque ac quandocumque inter professores dictorum Monasteriorum observantiae hujusmodi, quaestio vel dubitatio circa Regulae custodiam seu conservationem vel intellectum quomodolibet oriatur, servatis tamen substantialibus ipsius Regulae ac recta conscientia et sano intellectu, ne scandalum vel dissolutio ex talibus sequeretur.“²⁾

Accepta ergo hujusmodi facultate interpretationes, declarationes ac moderationes Regulae ad quindecim capita reduxerunt, quorum approbationem anno sequenti 1439 flagitarunt ab Eugenio IV, qui eam tribuit per Ludovicum Barbo, Episcopum Tarvisinum et Congregationis Casinensis Reformatorem, cui examen illorum commiserat. Placet hic transcribere integrum hocce documentum ne oblivione depereat, est enim nunc valde difficile illud pro manibus habere.

Ludovicus Dei gratia Episcopus Tarvisin. Devotis Fratribus Priori et Conventui Monasterii Sancti Benedicti Vallisoleti, Ordinis ejusdem sancti, Palentin. Dioecesis, aliisque Sancti Claudii extramuros Legionen. ac Sanctae Mariae de Consolatione loci de Calabaçanos, et sancti Joannis Baptistae extramuros Burgen. ac sanctae Mariae de Misericordia loci de Fromesta Palentin. Dioces. necnon aliorum Monasteriorum praedicto sancti Benedicti Monasterio subiectorum et subiiciendorum, ac per illius Priorem sive Superiorem pro tempore, et sibi subiectis aut subiiciendis, sive sub regulari observantia et inclusione viventibus pro tempore Monachis sive Religiosis fundandorum, instituendorum ac reformandorum Monasteriorum dicti Ordinis, Abbatibus, Prioribus, Monachis, Conventibus et personis sub regulari observantia ac voto inclusionis pro tempore degentibus Fratribus nostris in Christo dilectis, praesentibus et futuris, salutis et omnis boni spiritualis incrementum. Dudum vestrae Fratritates postularunt humiliter nonnulla concernentia bonum et commoditatem Religiosorum hujusmodi Monasteri-

²⁾ Privilegia praecipua, pag. 99: Ibañez, 18v.

orum praedictorum ac conservationem Status Monastici et Regulae S. Benedicti, sub qua in illius observantia regulari degitis, et vitam vestram continuare proponitis, per Sanctissimum in Christo Patrem et Dominum nostrum Dominum Eugenium Divina Providentia Papam Quartum, nostro ad id auxilio possibili suffragante concedi, ac eorum etiam aliqua declarari pariter et moderari. Unde ipse Dominus noster, qui viros Monasticos praesertim observantiam Regularem Ordinis, in quo se Deo obtulerunt amplectentes toto conamine, totisque viribus et affectibus, confovere ac in eorum petitionibus, exaudire consuevit, illas quantum cum Deo fuerint possibiles, nullatenus denegando regularis observantiae et vestrae devotionis intuitu infrascriptas petitiones propria manu nostra in fine cujuslibet earum signatas, quemadmodum per ordinem sequuntur ad Religionis, devotionis et personarum vestrarum conservationem corroboracionem et consolacionem, vivae vocis oraculo per me vobis moderari, declarari et concedi gratiose indulsit, unde eiusdem Domini Nostri oratores fideles esse debeatis ut Altissimus eum ad universalis Ecclesiae suae Sanctae regimen et gubernacionem prosperum conservet et felicem, Nosq: Ludovicus praefatus vestris piis orationibus sedulis simul effectualiter recommisit.

In primis enim petitur et supplicatur, ut Prior sive Superior pro tempore Monasterii Sancti Benedicti praedicti, a quo huiusmodi regularis observantia et inclusio emanarunt cum consilio providorum ac seniorum Religiosorum, possit in suo consueto Capitulo disponere, si in dormitoriis huiusmodi Monasteriorum de observantia habeant cellas, sicut Monachi de observantia in Italiae patribus habent, dum tamen fiat foramen ad portam cellae, ut Visitor possit videre, quid faciat Monachus. Placet et conceditur cum foramine, et non claudantur cum clavibus, ut liber pateat accessus Visitori, praeter cellas Prioris, qui non debet visitari a subiectis, et Cellarii, qui habet conservandam substantiam Monasterii. Ludovicus Tarvisin.

Item ut in huiusmodi Monasteriis possint habere in coquina secularem honestum ad excusandum Monachum. Haec petitio contradicit Regulae, quae vult neminem excusari ab officio coquinae, praeter Abbatem, cellarium et qui fuerint utiliorib^s negotiis occupati. Sed placet et ita conceditur, ubi fuerit minor Congregatio, fiat per aliquam honestam personam, ubi fuerit maior Congregatio, servetur Regula vel saltem per Conversos, Oblatos aut Commissos impleatur illud officium, ut sic alii melius possint vacare divinis et aliis utilioribus occupationibus iuxta regulam. Illa dicitur maior Congregatio, ubi fuerint a duodecim Monachis supra. L. Tar.

Item, ut quando contingat religiosis sive Monachis extra Monasteria in casibus eis concessis aut concedendis exire, absque scrupulo possint licite cum minori tunica sive staminea et scapulari

dormire, etiamsi si sint tales in Monasterio debiles, infirmi, aut qui non possint dormire specialiter tempore estivo aut alio tempore. Placet et est discreta concessio, et sic exercet Congregatio nostra Sanctae Justinae, in qua cum magna discretionem et diligentiam totius Regulae Sancti Benedicti fit plena observantia. L. Tar.

Item, ut Prior sive Superior dicti Monasterii cum consilio illorum ex huiusmodi Conventu, qui sibi in gerendis inibi negotiis assistere consueverunt, possit dispensare cum Monachis et Religiosis professis dictorum Monasteriorum, si sint infirmi, debiles, scandalosi aut minus utiles aut propter aliquam iustam, necessariam vel nimium expedientem causam, ut possint transire ad alium quemcumque Ordinem sive Religionem parem vel arctiorem, prout eis visum fuerit. Conceditur et hoc etiam concedit ius commune. L. Tar.

Item, ut in dispositione Priorum, Abbatum sive Superiorum Monasteriorum observantiae huiusmodi sit dispensare, quod temporibus, quibus Religiosi possunt coenare, concedere unum pulmentum. Conceditur et sic servant communiter servi Dei in partibus nostris Italiae. L. Tar.

Item, ut die Natalis Domini possint Religiosi Monasteriorum huiusmodi coenare et unum pulmentum habere, quocumque occurrat Natalis, etiam diebus celeberrimis per universalem Ecclesiam, sicut de Apostolis etc. Conceditur de die Natalis Domini, et duobus diebus sequentibus semper, et de festis solemnibus, quae a clero et populo custodiuntur, si in feriam sextam non venerint. L. Tar.

Item, ut Praesidentes Monasteriorum huiusmodi possint licentiam Religiosis concedere dormiendi post vigilias. Conceditur pro indigentibus aut petentibus licentiam, sed non fiat per generalem ordinationem, praeter aestivum tempus, quo propter brevitem noctium, propter calorem et alia impedimenta male dormiunt, nam et regula monet Patrem, ut sic temperet omnia, quo animae salventur, et quidquid faciunt monachi, absque murmure faciant. L. Tar.

Item Piores, Abbates, sive Superiores Monasteriorum huiusmodi dum commode possint, semper comedant cum Monachis in Conventu, nisi quando eis cum aliquibus hospitibus vel Religiosis aut propter aliquas expedientes vel honestas causas aliter videbitur expedire. Landabilem petitionem istam concedimus, et sic semper exercui tempore, quo fui Abbas Sanctae Justinae. Placet et observetis. L. Tar.

Item, ut quilibet Prior, Abbas, sive Praelatus dictorum Monasteriorum possit dispensare cum Conventu, ubi praest, et ordinare, quas Horas et quibus diebus Monachi dicant officium cum cantu in Choro vel sine cantu. Conceditur et placet, ut

petitur, et moderate statuunt circa hoc, quia observantibus Regulam grave est, totum officium cantare. L. Tar.

Item, ut Prior Sancti Benedicti aut Superior de consilio providorum ac Seniorum Religiosorum possit ordinare, quas Horas et quomodo dicant officium dictorum Monasteriorum Conversi et alii, qui non sunt in Sacris, quia nil de eis continetur in Regula. Super hoc est sciendum, Monachos Professos, et qui competenter legere sciunt teneri dicere officium totum, qui autem minus bene legunt, ad minus dicendum esse officium de Domina. Conceditur ergo Prioribus aut aliis Superioribus, ut discernant, qui sciunt competenter legere, qui non, pro his autem, qui nesciunt legere, ordinent pro Horis certum numerum „Pater noster et Ave Maria“.

L. Tar.

Item, ut quilibet Prior, Abbas sive Superior dictorum Monasteriorum cum consensu presbyterorum possit dispensare circa minora Regulae, servata tamen substantia et sano intellectu. Placet et hoc magis specialiter obtinui a Domino Nostro, sed cum maturitate fiat, ne laxetur observantia Regulae circa ea, quae sunt clara et portabilia; circa ea, quae propter obscuritatem litterae videntur gravia ad observandum iuxta litteram libere declaretis et moderetis, ut omnia sine murmuratione fiant, iuxta regulae monita. L. Tar.

Item, ut quilibet Prior sive Superior Monasteriorum huiusmodi possit exercere, moderari, dispensare, cucullam et habitum benedicere, professionem a religiosis etc. recipere, in omnibus etiam, et per omnia facere, et disponere, in quibus Abbas secundum regulam facere, disponere etc. potest. Conceditur et sic est tenendum, ut circa praedicta sic possit Prior Conventualis aut alius Superior principalis, sicut potest Abbas, quia quo ad regimen Monachorum et regulae directionem non est vis in nomine, tamen ille est principalis Rector Monasterii. L. Tar.

Item, ut Novitii possint comedere et dormire simul cum professis, ac si sint professi. De dormitione placet, de comestione utilius est, ut aliquantulum seorsum, in mensa ad hoc pro eis deputata, sedeant servandae reverentiae causa, quam debent habere Novitii erga professos. L. Tar.

Item, ut quilibet Prior, Abbas, sive Superior dictorum Monasteriorum observantiae huiusmodi, possit dispensare cum Monachis et Conversis ac Religiosis, Fratribus et Oblatis dictorum Monasteriorum, ut in dormitorio seu dormitoriis clausis sive apertis cellis contemplationi vacare, legere et studere valeant, nec non eis ieiunia, labores manuum, lectiones ac tempora dormitionis, vigiliarum mutare et allevare possint, prout secundum Deum animarum suarum saluti expedire viderint. Placet de omnibus, servatis iis, quae supra in principio diximus de cellis. L. Tar.

Item, ut nullus Prior, Abbas, sive Praelatus nec Monachi professi et quicumque Religiosi Monasteriorum huiusmodi ut ad alias Horas, Psalmos, Suffragia, Recitationes, Preces, Devotiones et Ceremonias, nisi ad eas dumtaxat, quae in Regula Sancti Benedicti continentur, minime teneantur, nisi in quantum ex devotionis fervore seu alias sua libera et spontanea voluntate processerint. Placet, quia magis est Deo accepta paucorum Psalmorum decantatio cum jubilo, quam multitudo Psalmorum cum fastidio. Congregatio Sanctae Justinae nunquam dicit Preces, nec in feriis, nec de mortuis in Choro, nisi in quadragesima, nec de Domina in festis duplicibus, licet extra Chorum ex devotione nullus est, qui non dicat officium de Domina. L. Tar.

Quae omnia et singula vobis modo, quo supra, concessa, declarata ac moderata sunt, non obstantibus quibuscumque constitutionibus Apostolicis ac regularibus statutis et consuetudinibus Monasteriorum observantiae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Per praesentes tamen concessionibus, declarationes ac moderationes Sanctissimus Dominus noster non intendit aliquo modo aliis privilegiis, indultis, et concessionibus Monasteriorum observantiae et Ordinis praedictorum in specie vel in genere a Sede Apostolica, seu alias vobis, aut Monasteriis huiusmodi quomodolibet competentibus, seu competendis aliquatenus derogare, sed quod ea omnia perpetuo ad vestrum ac ipsorum Monasteriorum favorem in suo plenario robore permaneant. Placet tamen, ut durante observantia et inclusione, nisi in casibus, in quibus vobis conceditur aut concedetur exire, durent praemissa. Verumtamen Monasteria nunc subiecta, et subiicienda Monasterio Sancti Benedicti praedicto, tamdiu illis gaudeant, quamdiu in eadem subiectione fuerint: reformanda autem ac fundanda sive de novo erigenda dicto Monasterio Sancti Benedicti non subiecta, dum fraternitate constitutionibus et ordinationibus, habitu et modo vivendi Monasterio Sancti Benedicti praedicto conformia fuerint et unita. Ad quorum omnium et singulorum praemissorum corroborationem, pariter et fidem indubiam adhibendam pro ipsorum tutela et firmitate perpetuis futuris temporibus duratura, cum ita existat, quemadmodum praemittitur, de voluntate et assensu vivae vocis ipsius Sanctissimi Domini Nostri oraculo nobis Ludovico praefato factis ad perpetuum rei memoriam, prostrarum etiam conscientiarum maiori serenatione praesentes litteras nostri sigilli appensione fecimus, communiri, Datis Florentiae Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Nono, Decimo tertio Kalendas Augusti, Pontificatus praefati Domini Nostri Eugenii Papae Quarti Anno nono. Ita est sicut supra narratur per scriptorem. In quorum

fidem concessionem de manu propria scripsi et hic etiam ego Ludovicus Episcopus Tarvisin. praedictus.¹⁾

Transcriptae concessionem ac declarationem seu interpretationem Sanctae Regulae ab Eugenio IV approbatae, inservisse videntur ad regimen Monasteriorum Congregationis Vallisoletanae per totum saeculum XV usque ad annum 1505, in quo, petentibus iisdem Monachis, ut infertur ex privilegio Julii II eo anno concessio,²⁾ aut iubente ipso Pontifice, ut vult cl. P. Besse. O. S. B.³⁾ et conicitur ex Vita Ven. P. Garciae de Cisneros, Reformatoris Montserratensis, a doctissimo Magistro Emmanuele Navarro, O. S. B. scripta,⁴⁾ Constitutiones ad directionem Congregationis Hispanae adaptatae sunt, cum restrictione tamen non parva, nempe „in quantum Patriae et regionis diversitas patitur“ et „prout Generali Congregationis Vallisoleti huiusmodi, ac Definitoribus in Capitulo Generali pro tempore eligendis et existentibus, vel eorum majori parti visum fuerit expedire.“⁵⁾ Quae omnia videmus repetita tempore Leonis X., cuius Litteras, propter eius mortem non expeditas, confirmavit et expedire iussit Clemens VII an. 1523.⁶⁾

Quidquid id est, procul dubio affirmari potest Consuetudines et Constitutiones Casinenses non invaluisse apud Hispanos Mo-

1) Privilegia praecipua, pag. 101—104, Ibanez, op. cit. per compendium, pg. 15—16.

2) »Sane, inquit, pro parte dilectorum filiorum universorum Abbatum, Priorum, Praesidentium, Conventuum Monachorum aliarumque personarum, religiosarum Monasteriorum Congregationis oppidi Vallisoleti, Ordinis Sancti Benedicti, Palentrine Dioecesis, nobis nuper exhibita petitio continebat quod... ipsi zelo religionis pie considerantes quod dilecti filii Abbates, Priores Praesidentes, Monachi, Conventus et aliae Religiosae personae Congregationis Cassinensis, nullius dioecesis. Olim Sanctae Justinae de Padua dicti Ordinis longiori consuetudine ac experientia plenius informati Monasteria aliaque religiosa loca eorum, in huiusmodi spiritualibus et temporalibus regant, dirigant et gubernent, et in eis divinus cultus, disciplina regularis, vitae sanctimonia, sincera caritas, puritas et devotio Monachorum, Servitorum Ministrorumque numerus in spiritu humilitatis, pace et tranquillitate in dies magis augetur, eorumque Ecclesiae, Monasteria, aliaque religiosa et pia loca ac bona temporalia in melius divino auxilio, reparantur et conservantur, summopere cupiunt se illis in quantum Patriae et regionis diversitas patitur, perpetuo conformare« ... Privilegia pag. 1^v.

3) Revue benedictine, 1902.

4) Juxta P. Navarro, P. Garciae de Cisneros in Capitulo Generali a. 1509, in quo fugebatur munere primi Definitoris, persuasit caeteris PP., ut acciperetur Bulla Julii II ad hoc, ut Congregatio Vallisoletana frui posset gratis Cassinensi concessis, tamen »in quantum haec conformatio cum regimine suo, nihil laederet hispanam reformationem.« (pg. 79) Vtraque sententia componi posse existimo, si dicatur Regem Ferdinandum, tunc in Italia praepotentem, huiusmodi unionis auctorem fuisse, hoc enim et ipse supplicaverat Julio II. ut aperte Pontifex ibidem asserit.

5) Privilegia, pag. 2.

6) Privilegia, 165—67.

nachos, qui tandem nonnisi pauca et quae eorum vivendi rationi erant consentanea in posterioribus Constitutionibus suis intromiserunt. Profecto paulo post, anno 1530 Capitulum Generale Congregationis commisit duobus monachis Sti. Joannis Bapt. Burgensis, nempe PP. Didaco Cadena, dicti Monasterii Abbati, et Petro de Burgos, Praelato Montserratensi, „ordinare Ceremonias et Consuetudines Congregationis, ut manerent fixae ac stabilis et essent communes in omnibus Coenobiis atque tolleretur varietas, quae remanserat ex temporibus Reformationem precedentibus,“ ut testatur cl. noster Jepsius.¹⁾

Deinde, anno 1561, occasione diversitatis sententiarum inter Congregationem et Monasterium Vallisoletanum super electionem Abbatis Generalis, „ne ullatenus dissensionibus et inquietudinibus locus pateret,“ Pius IV facultatem tribuit Regi Catholico Philippo II et Abbati Gen. Georgio Manrique „ut duodecim aut plures eiusdem Congregationis Abbates seu Monachos per praedictum Regem Philippum nominandos, quos Dei, suaeque Religionis et fidei zelatores, vitaeque et doctrinae ac prudentiae exemplaris esse cognoverit, qui simul cum praedicto Georgio Generali in aliquo eiusdem Congregationis Monasterio, seu alio regulari loco congregati, omnia et singula, quae ad eiusdem Congregationis salubrem directionem prosperumque statum et Regimen ac pacem et quietem iuxta praedictae Congregationis et illius Ordinis regularia instituta et antiquas Patrum sanctiones et constitutiones, tam circa divini officii celebrandi, quam circa morum reformationem statuenda, ordinanda, et reformanda videbuntur, statuere ordinare, reformare et sancire“ valerent.²⁾ Quae omnia ab hisce selectis Monachis adimpleta fuisse testatur Sanctus Pius V in sua Constitutione „Regiminis universalis Ecclesiae,“ anni 1567, „postquam ipsi, Divino praesidio implorato, diu multumque una incubuerant...“ „quibusdam ex anterioribus statutis detractis et mutatis...“ „et denique ipsi duodecim electi a se factas circa instituta regularia Congregationis et Ordinis praedictorum Constitutiones et ordinationes ita firmatas et inviolatas voluerunt, ut per Capitulum generale nunquam retractari, corrigi, vel abrogari possent...“³⁾

Verumtamen memorata statuta differentias et inquietudinem Congregationis non omnino sustulerunt. Itaque Paulus V, Motu proprio diei 1. Septembris 1609, litem acriter diuque agitatam composuit, tribuens Vallisoletanis Monachis proprium habere Abbatem sicut cetera Monasteria et statuens, ut in posterum

¹⁾ Jeps, VI, 425, 428.

²⁾ Privilegia, 182.

³⁾ Ibidem, 189—91.

electio Abbatis Generalis ad Congregationem unice spectaret.¹⁾ Hinc factum est, ut pro novo rerum statu novas leges ferre necessarium videretur, sicque approbante eodem Pontifice decretum est in Capitulo Generali anni 1610, quod perfecerunt anno sequenti nonnulli Monachi ad hoc specialiter selecti ac delegati, sub directione Abbatis Generalis Placidi de Tosantos in Monasterio Sahaguntino congregati.²⁾

Hae novae Constitutiones ita sapienter ordinatae et firmiter stabilitae sunt, ut quoad substantiam nullam passae sint mutationem, et viguere per ducentorum annorum spatium usque ad finem Congregationis. Attamen, quia in sequentibus Capitulis Generalibus, pro rerum necessitate ac temporum opportunitate, nonnulla constituta fuerant, tot erant leges initio saec. XVIII., ut aliquando, ex earum occasione, difficultates ac dubia non pauca exorerentur circa earundem Constitutionum interpretationem. Quapropter visum est Patribus Capituli Generalis an. 1701, ut delegarentur iterum Monachi,³⁾ qui, retentis quoad substantiam prioribus Constitutionibus, facultatem haberent illas declarandi et explicandi, novasque leges intercalerent atque ad maiorem illarum claritatem ac intelligentiam in meliorem formam redigerent. Ita factum est eodem anno in Monasterio Vallisoletano et postea nova editio Constitutionum prodiit Matrivi anno 1706 expensis Congregationis et auctoritate Rmi. Abbatis Generalis Joannis Bae. Lardito.

Reliquae leges Congregationis, quae latae sunt in Capitulis Generalibus ab anno 1701 ad 1785, inveniuntur collectae et in Compendium redactae a P. Attilano Muñoz, Vallisoletano, easque publicari iussit Rmus. Abbas Generalis Paulus Varcacel, quibus additae sunt ceterae leges usque ad annum 1801 factae et stabilitae. Quae vero sancita sunt ab anno 1801 usque ad extinctionem

¹⁾ Paulus V. »Inter graves« habetur integra in utraque edit Constitutionum, cap. I.

²⁾ Monachi ad hocce opus selecti fuerunt sequentes: Petrus de Arevalo, tunc Abbas S. Petri de Arlanza, et Definitor; Alphonsus de Biarrantes, Abbas Sti Zoili de Carrion (postea Abbas Generalis 1613). Didacus de Extremiana, Abbas S. Salvatoris de Lerez; Magister Antonius Perez, Concionator et Lector Collegii Salmaticensis (antea Abbas Generalis 1607) postea Episc. Urgellensis et Illerdensis, et Archiepiscopus Tarraconensis; Antonius Cornejo, Concionator Sti Martini de Compostella, et Definitor; (fuerat etiam Abbas Generalis 1604); Joannes de Valenzuela, concionator Stae Mariae de Valvanera et Visitator Generalis; Maurus de Otero, concionator Monasterii Sahaguntini; Hieronymus Marthon, et Didacus Venegas, uterque Concionator Generalis Congregationis, de quibus omnibus, infra suis locis, aliquoties agetur.

³⁾ Fuerunt sequentes: Rmus. P. Josephus de Zanartu, Doctor Theolog. Universitatis Salmaticensis (quondam Abbas Generalis — 1681? 85); Ludovicus Alvarez, Abbas Ovetensis (postea Caradignensis) et Chronographus Congregationis; Jacinthus Diez, Visitator Generalis; Benedictus Vaca, Concionator Generalis; Isidorus de Arriaga, Magister Generalis; Didacus de Fonseca, Concionator Generalis; Josephus Romero et Joannes de Manrique, concionatores Regis Catholici.

hujus praeclarae Congregationis, inedita adhuc manent et illarum exemplar nobis transmisit R. P. D. Wilfridus Arnaiz, O. S. B., confrater noster Montisserrati, nunc Praefectus Clericorum.¹⁾

Praeter Constitutionum volumen habebant Vallisoletani Cere-
moniale, in quo non solum diffusius continebantur, quae ad divini
cultus institutionem ususque ac consuetudines Congregationis
spectabant, sed etiam complura alia pro interiori gubernio Mona-
steriorum ac pro omnibus officiis et muneribus tam Monachorum
quam fratrum Conversorum. Hocce opus inceptum fuisse videtur
paulo ante dimidium saeculi XVI, deinde noviter ordinatum ac
excusum decreto Capituli Generalis an. 1633, et tandem iterum
editum fuit Matriti iussu Capituli Generalis an. 1773. Isto etiam
opere, quoties oportuerit, infra suis locis utemur aut mentionem
faciemus.

Articulus II.

Constitutionum Epitome.

Nunc, vero, ut notitiam Constitutionum Congregationis
Vallisoletanae adaequatam praebemus, meliori quo potuerimus
modo illarum compendium hic faciemus et magnum illud volumen
in epitomen redigemus. Ad hoc utimur editione Matritensi an.
1706, utpote potiore ac correctiore. In ea Constitutiones compre-
henduntur tribus Libris; primo agitur de Regimine Congregationis;
secundo, de gubernatione Monasteriorum; tertio de Studiis mo-
nasticis tam in Collegiis quam in ceteris Domibus Congregationis.
Ad maiorem perspicuitatem totidem sectionibus epitomen ordi-
nabimus.

Sectio prima.

Epitome primi Libri Constitutionum.

Argumentum primi Libri Constitutionum est Celebratio Ca-
pituli Generalis Congregationis, in quo fiebant Electiones Abbatis
Generalis, Definitorum, Abbatum Monasteriorum Capitularium,
Visitorum Generalium, Magistrorum et Praedicatorum aliorumque
Congregationis Ministrorum, de quibus distinctis paragraphis agemus
recolentes, quae sparsim de singulis habentur.

§ I.

De statu Congregationis novarumque Legum ratione.

Postquam in Prooemio coetus Monachorum rationem reddidit
potestatis et facultatis eidem concessae a Capitulo Generali ad
novas Constitutiones ordinandas, incipit Caput primum, quo agitur
de statu Congregationis et explicantur causae unionis Monasteri-

¹⁾ Haec omnia afferemus in notis hoc modo: »Munoz« §; »Trasunto«, n.;
et »Ms.«, n. hic respondet anno in quo celebratum fuit Capitulum

orum, ac litis inter ipsa et Vallisoletanum de electione Abbatis Generalis, de qua infra suo Capite pertractabitur. Deinde transcribitur Constitutio Pauli V, „Inter graves“, dat. 1. Sept. 1609, qua imponitur finis supradictae liti; quapropter ordinatur et statuitur, ut deinceps quotannis Deo gratiae agantur die 1. Junii, quo celebratur festum Sti Enneconis, Abbatis Onniensis; et pariter die sequenti decantetur Missa Defunctorum pro aeterna requie SS. Pontificum, Cardinalium, Regum et Principum ceterorumque, qui ad stabiliendam pacem et tranquillitatem Congregationis praecipue adlaborarunt.

In altero capite, revocatis omnibus Constitutionibus, statuitur, ut deinceps illae tantummodo habeantur tamquam Leges, quae in Novo Codice continentur [num. 5] et Definitiones, quae postea in Capitulis Generalibus fierent, dummodo in id consenserint duae partes Capitularium, et deinde etiam probarentur a duobus Capitulis subsequentibus,¹⁾ secus obligabant dumtaxat eo tempore, quod inter Capitula intercurrerebat.²⁾ (n. 5—6.) Ad leges mutandas requirebantur etiam duae suffragiorum partes (n. 9). Abbati Generali et Definitoribus severissime prohibitum erat ferre Leges, quae Constitutionibus expresse repugnarent. (n. 12) Extra Capitulum, nec ipse Abbas Generalis habebat facultatem ferendi leges, sed tantum ei tribuebatur illas explicare in casibus particularibus (n. 8) ipsique praeceptum erat, ut in visitatione Domorum Congregationis nonnisi censuras in Constitutionibus praescriptas imponeret (13), quod et ceteri Superiores observare tenebantur (n. 14), et perdurabant usque ad proximum Capitulum Generale tantum.³⁾

§ II.

De Capitulo Generali.

I.

Tempus, locus et Capitulares.

A capite tertio usque ad vigesimum quartum fuse agitur de Capitulo Generali. Hoc celebratur quarto quoque anno⁴⁾ Dominica IV post Pascha in Monasterio designato a priori Capitulo, secus eodem loco (III, n. 1, 2.),⁵⁾ ideoque opus non erat, ut

¹⁾ Paulus V. »Ex iniuncto« 9. Dec. 1611. Invenitur in fine Constitutionum.

²⁾ Capitula Generalia 1781—1789 declaraverunt Decreta quibus aliquid Constitutionum moderabatur, mutabatur, aut supprimebatur a primo Capitulo habere vim legis — »Trasunto«, n. 5.

³⁾ Capitula 1814—18, statuere, ut censurae huiusmodi manerent post Capitulationem usque ad novam Monasterii visitationem. (Ms. n. 1.)

⁴⁾ In Congregatione Vallisoletana non celebrabatur Capitulum intermedium, aut extraordinarium, neque Dicta. (Cap. XXXV. n. 27. Paulus V, »Ex iniuncto« 9. Dec. 1611.

⁵⁾ Antiquae Constitutiones, cap. 3.

indiceretur ab Abbate Generali, sed omnes convenire tenebantur ipso sabbato ante meridiem (n. 5) non antea, neque ad loca viciniora, sub poena privationis vocis activae et passivae quoad alias vero personas sub poena publicae verberationis, et ieiunii pane et aqua in Refectorio Patrum Capitularium (n. 20).

In Capitulo Generali conveniebant sequentes, hocque ordine.¹⁾
 a) Abbas Generalis, qui eidem praesidebat usque ad novi Generalis publicacionem (V, 2, 13; XIV, 12); b) Abbates Generales praeteriti (si qui essent), ordine antiquitatis habitus,²⁾; c) Abbates et Praesidentes Monasteriorum Capitularium juxta gradum cuiquam per Constitutiones assignatum³⁾ (v. 16); d) Novem Definitores,⁴⁾ e) quatuor Visitatores generales; f) sex Magistri, totidemque Praedicatores generales; g) quattuor Concionatores Regis Catholici; h) Laureati in Universitate Salmaticensi de licentia et sumptibus Congregationis; i) et qui in eadem Universitate essent Cathedralitici iuxta Constitutiones; j) Qui in qualibet Universitate approbata Primariam aut Vespertinam Cathedram Theologiae Scholasticae aut Expositivae obtinuerint, si in Collegiis Congregationis per

¹⁾ Antiquae Constitut., cap. 4.

²⁾ Vacante Generalatu praesidebant Capitulo Abbates Generales praeteriti et horum defectu Primus Definitorum etc. (V, 13.)

³⁾ Sedes Abbatum hujusmodi Monasteriorum erant distributae duobus ordinibus: videl.

- | | |
|---|--|
| 1. S. Benedict. de Valladolid (Dexter.) | 1. S. Benedictus de Sahagun (sinister) |
| 2. „ Salvator de Oña. | 2. Sta. Maria de Montserrat (Catal.) |
| 3. „ Joannes Bta. de Burgos. | 3. „ Maria de Montserrat (Matriti) |
| 4. „ Aemilianus de la Cogolla. | 4. „ Maria de Nájera. |
| 5. „ Salvator de Celanova. | 5. S. Martinus de Santiago. |
| 6. „ Petrus de Arlanza. | 6. „ Petrus de Cardeña. |
| 7. „ Claudius de Leon. | 7. „ Zoilus de Carrion. |
| 8. „ Julianus de Samos. | 8. „ Dominicus de Silos. |
| 9. „ Stephanus de Ribas del Sil. | 9. „ Petrus de Exlonza. |
| 10. „ Isidorus de Dueñas. | 10. Sta. Maria de Sopetran. |
| 11. Sta. Maria de Valvanera. | 11. „ Maria de Hirache. |
| 12. S. Petrus de Montes. | 12. S. Andreas de Espinareda. |
| 13. „ Joannes de Corias. | 13. „ Joannes de Poyo. |
| 14. „ Vincentius de Salamanca. | 14. „ Vincentius de Oviedo. |
| 15. „ Felix de Guixols. | 15. „ Martinus de Madrid. |
| 16. Sta. Maria de Obarenes. | 16. „ Salvator de Lorenzana. |
| 17. S. Salvator de Celorio. | 17. „ Benedictus de Sevilla. |
| 18. „ Benedictus de Zamora. | 18. „ Salvator de Corneliana. |
| 19. „ Vincentius de Monforte. | 19. „ Benedictus de Fromista. |
| 20. Sta. Maria del Espino. | 20. Sta. Maria de Bueso* |
| 21. Sta. Maria de Obona. | 21. S. Salvator de Lerez. |
| 22. S. Petrus de Tenorio. | 22. „ Petrus de Villanueva. |
| 23. „ Benedictus de Bages. | * Suppressa est an. 1789 ob paucitatem Monachorum. »Trasunto« n. 17. |

⁴⁾ Definitores in Actionibus Capitularibus quae ad eorum munus pertinebant, praecedebant Abbatibus (V, 17—19).

duodecim annos completos Theologiam legerint, dummodo tamen se sponte Cathedram non abdicaverint; k) Qui in septem Capitulis voto activo potiti fuerint;¹⁾ l) Socius seu Comes Abbatis Generalis; m) eiusque Secretarius; n) Procurator generalis Curiae Romanae in solo illo Capitulo quod fuerit immediatum suo ad Hispaniam accessui; o) Procurator generalis Curiae Regiae, electus tamen a Congregatione; p) Chronographus Congregationis; q) Vicarius major Monialium Sti Placidi Matritensis denique; r) Abbates suspensi, si qui essent, non vero Praesidentes suorum Coenobiorum.²⁾ Hi omnes ad locum Capituli accessuri erant bini aut terni, ne excitaretur curiositas incolarum in locis per quae transibant. (III, 16.) nefas erat illis deferre secum Monachos aut Conversos, nisi isti eadem die ad suum redire valerent Monasterium. (ibi 17). Si quis Abbatum ad Capitulum ire non valebat, debebat mittere procuratorem, eiusdem Monasterii monachum, qui qualitates haberet, quae ad Abbatiale munus requirebantur (V. 7, 8.), si forte in eius Monasterio non inveniretur, ex viciniore illum seligere poterat, huicque tribuebatur locus Abbatis absentis (7) Ceteri Capitulares, legitime impediti, non habebant ius mittendi procuratorem, sed tantum per epistulam excusationem dare debebant, secus arbitrio Capituli erant puniendi (11).

Si quis Monachus recursum fecerit ad Capitulum Generale, ut ei iustitia fieret, obtenta prius licentia in scriptis Definitorum, cum Abbate suo pergebat usque at Domum loco Capituli viciniorem, ibique solus in cella manere debebat, donec vocatus fuerit a Patribus Capituli. (III. 18). Ceteri Monachi et Conversi, qui extra Claustra erant, tempore Capituli ad Monasterium redire cogebantur a Praelatis (21), nullique licebat exire nisi gravi causa interveniente et dummodo eodem die ad Monasterium regrederetur (23). Iis vero quibus gravibus Monasterii negotiis exposcentibus egregi necesse fuerit, prohibitum erat accedere ad loca quinque leucis a loco Capituli circumquaque sita; quod si vitari non poterat, faciendum erat auctoritate Praesidentis et Seniorum Monasterii, qui huius rei authenticum testimonium Monacho tradere debebant, ab ipso ad Capitulum mittendum sub poena excommunicationis, publicaeque flagellationis, sexque mensium Carceris (23—25) Pariter prohibitum erat Monachis et Conversis Monasterii ubi Capitulum locum habebat, exire absque licentia Rmi Abbatis Generalis (26).

¹⁾ Capitula Gen. 1749—57 declaraverunt sufficere, ut Capitularis huiusmodi habuerit ius assistendi, licet impeditus assistere non valuerit (Muñoz § IV, n. 1.)

²⁾ Cf. Bullas Pauli V »Ex iniuncto«; Clementis X »Alias emanaverunt« 23. Dec. 1671, et »Exponi Nobis« 4. April. 1672; Innocentii XI »Exponi Nobis« 30. Jan. 1681.

II.

De Sessione praeparatoria.

Sabbato ante Dominicam IV Paschae, hora tertia post meridiem congregabantur Patres Capitulares in loco ad Capituli celebrationem designato (VI, 2).¹⁾ Ibi contione ad eos habita per Abbatem Generalem precibusque consuetis, Secretarius Abbatis Generalis, qui hoc munere fungebatur in Capitulo usque ad novi electionem (4), legebat Epistulas Capitularium absentium atque Abbatum, qui assistere non valentes substitutum mittebant, cuius qualitates examinabantur, ut videretur, utrum admitti in Capitulo an secundum statuta reiici deberet. (5). Si quis Abbatum aut Capitularium officio privatus ad capitulum venerit, eius causa tunc cognoscebatur, ut in sequenti Sessione locum habere posset in Capitulo, aut si excludendus, absque mora ad Monasterium rediret (7, 8).

Suffragiis probatis, Abbas Generalis designabat unum ex Patribus qui, durante Capitulo, Magistri Ceremoniarum officium impleret, ut omnia ordinate procederent, et Monachum illius Monasterii, qui esset Ostiarius Congregationis et Definitorii (9). Ab eodem pariter designabantur quattuor Capitulares sapientes et bene accepti, ut essent Deputati, duo gratiae, duoque iustitiae, ut ipsi proponerent Capitulo, quae postulata fuerint a monachis vel Domibus, et iuxta ius et rationem, illis daretur satisfactio (10).²⁾ Item pro personis saecularibus, quae in causis civilibus ad Capitulum recursum fecerint, deputabantur specialiter duo Capitulares, quibus adiungebantur alii duo Monachi Monasterii, veluti Secretarius et Ostiarius, ut quam primum dictis personis satisfaceret (15). Quibus omnibus iudicibus erat plena facultas cognoscendi, iudicandi ac definiendi causas sibi commissas nomine ac delegatione Congregationis, verum tamen licebat ab eorum sententia ad Definitorium aut Congregationem recurrere (17).

In hac quoque praevia Sessione, duo Patres Capitulares, ab Abbate Generali antea iam designati, rationem reddebant status oeconomici Monasteriorum iuxta computa rationesque exitus et introitus ab Abbatibus et Praesidentibus missa (III—6.); haecque informatio novo Secretario postea tradebatur, ut secum illam deferret tempore visitationis uniuscuiusque Monasterii (VI. 18.).

¹⁾ Constitutiones ant., cap. 5.

²⁾ Cf. Const. Pauli V, »Ex iniuncto« ubi approbatur statutum Capituli Gen. 1610 »ne eligantur neve sint ad Capitula Generalia Procuratores Conventuum, ut ablati omnino inquietudinum occasionibus, quae communiter ex electionibus oriuntur, ferventius Deo serviat et maiori cum charitate sibi invicem Monachi respondeant et quietius vivant; suas tamen petitiones dirigere poterunt ad Capitulum per illos, et eo modo, quo disponitur in Constitutione . . .«

Tam Deputatus, quam Praelatus, qui contrafecerit, exludatur a Capitulo. (III. SS.)

Denique his omnibus expletis Secretarius legebat litteras Abbatis Generalis cum censuris impositis ad effectum electionis novi Abbatis Generalis novorumque Definitorium rite cononiceque die sequenti faciendae.¹⁾

(Continuatio sequitur.)

Beiträge zur inneren Geschichte des Zisterzienserordens im 17. Jahrhundert.

Von † Dr. Otto Grillnberger, O. C. in Wilhering.

(Schluß zu H. III. 1904. S. 465—480.)

32. Concessit capitulum generale fratribus de *Prulliaco* celebrare festum *S. Stephani* tanquam fundatoris per modum sermonis minoris, similiter et fratribus de *S. Urbano* in Helvetia festum *S. Urbani* idque in monasterio tantum.

33. Requirentibus promotoribus, qualiter ieiunia ordinis sint servanda et quinam sint illi dies ieiunii et abstinentiae, respondit capitulum generale quoad ieiunia standum esse tenori brevis apostolici et textui s. regulae diemque Mercurii et feriam sextam esse dies ieiuniorum regularium, diem lunae vero et sabbathum esse dies abstinentiae.²⁾

¹⁾ En illarum hispanus textus: »Nos el Mtro. Fray N. General &. A los Muy Reverendos Generales, que han sido, de nuestra Congregacion, Padres Abades, Definidores, Maestros y Predicadores Generales, y á todas las demás personas, que en uno con los ya nombrados, están congregados para celebrar el Capitulo General presente, de cualquiera oficio, calidad, y condicion que sean, y á cada uno de por sí en particular. Por la Autoridad Apostólica ordinaria, que como tal General tetenemos, de que al presente usamos en esta parte; mandamos en virtud de Santa obediencia, y so pena de Excomunion mayor canon latae sententiae, trina canonica monitione praemissa, cuya absolucion á Nos reservamos, que, dentro de veinte y cuatro horas desques que esta nuestra carta les fuere leida y notificada, que les asignamos por tres términos del derecho, de ocho en ocho horas, las últimas ocho por último y perentorio, et que supiere que entre los Capitulares, que han de tener voto activo ó pasivo, en las elecciones de General, Definidores y Electores, que se han de hacer en vel presente Capitulo, hay alguno que haya hecho algun trato ilícito, prohibido por derecho, ó Constitucion, ó que tenga algun impedimento asimismo Canónico, ó de Constitucion, para que no pueda elegir, ó ser elegido, parezca ante Nos á declararlo abierta y manifiesta mente, para que proveamos lo que pareciere ser de justicia, y las dichas elecciones se hagan conforme á derecho. Dada en el Monasterio de N. y leida en pública Congregacion, dia... del mes... del anno...« (Caput VI, num. 19.)

²⁾ C *Iuxta regulam et constitutiones praescriptas numerus ieiuniorum diebus Mercurii et Veneris a Pentecoste ad Exaltationem s. crucis et inde a Pascha singulis diebus, quibus non vescimur carnibus, in omnibus ordinis monasteriis communis observantiae inviolabiliter observetur.*